

**Dissertatio inauguralis anatomica exhibens nonnullas observationes circa tunicam retinam et nervum opticum ... / [Johann Heinrich Moeller].**

**Contributors**

Moeller, Johann Heinrich.  
Juncker, Johann, 1679-1759.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hilligeri, [1749]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/j9hv45c8>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGURALIS ANATOMICA  
 EXHIBENS  
 NONNVLLAS OBSERVATIONES  
 CIRCA  
**TVNICAM RETINAM**  
 ET  
**NERVVM OPTICVM**

QVAM

*ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA*  
 CONSENSV ATQVE AVCTORITATE AMPLIS.  
 SIMI ORDINIS MEDICI

*IN ALMA REGIA FRIDERICIANA*  
 PRÆSIDE

*VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO*  
**DN. IOANNE IVNCKERO**  
 MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
 PVBLICO ORDINARIO

DOMINO PATRONO PRAECEPTORE  
 AC PROMOTORE SVO OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 DOCTORALIBVS

*AD DIEM APRIL. MDCCXLIX.*

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPONET  
 AVCTOR ET RESPONDENS

**IOANNES HENRICVS MOELLER**  
 WERNIGERODANVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
 TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. TYPOGR.

МЕДІЧНО

ІНСТИТУТ

ІМЕНІ ДОКТОРА

ІВАНА ІЛЛІЧА СІЧЕНКО

ІМІМЕНІ ДОКТОРА

ІВАНА ІЛЛІЧА СІЧЕНКО

CELSISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO  
COMITI

AC

DOMINO

HENRICO ERNESTO

S. R. I. COMITI STOLBERGAE, KOE-  
NIGSTEINII, ROCHEFORTI, WER-  
NIGERODAE ET HOHEN-  
STEINII, REL.

DYNASTAE IN EPSTEIN, MVNTZENBERG, BREVBURG,  
AIGMONT, LORA ET KLETTENBERG,

REGII ORDINIS DANICI DANNEBROGICI EQVITI, ECCLESIAE  
CATHEDRALIS HALBERSTADIENSIS CANONICO  
REVERENDISSIMO

DOMINO MEO CLEMEN-  
TISSIMO

# COMES CELSISSIME, DOMINE CLEMENTISSIME,



Nunquam ausus fuisse, leviores has  
paginas TVIS advolvere pedibus,  
nisi a beneficiis TVIS innumeris  
admonitus, & ad hoc TIBI defe-  
rendum munusculum quasi coa-  
etus essem. Ista quoque spei & fiduciam mi-  
hi addebant, non ingratum TIBI fore, si illud,  
quod TVA clementissia gratia in Musarum se-  
dibus apprehendi, TIBI acceptum referre ob-  
strictissime conarer. Per TE enim, COMES  
CLEMENTISSIME, in Academia IVLIA  
CAROLINA Professores celeberrimos aus-  
cultare, illorumque doctrinis diutius, quam  
quinque semestria, inhaerere potui. TVA  
quoque

quoque gratia Batavorum medicorum principes, Academiae, quae Lugduni floret, Professores Illustres visitare, atque eorum per vnius anni spatium scientiam meam mihi facere licuit. Tandem & TVO nutu Halam profectus, ibique principiis Dn. Professoris IVNCKERI per vnum & dimidium annum imbutus, in eam hodie abs TE, ILLVSTRISSIME COMES, me perductum esse viam reor, quae securissima futurae meae felicitatis monstrat vestigia. Thema, quod elegi, ex ea medicinae parte desumtum est, quam prae reliquis TIBI arridere semper ostendisti; eo minus ergo dubito, fore ut TIBI displiceat, quoniam aliquid novi in se continet, quod, praeter ALBINVM, nullum hucusque Auctorem observasse memini. Interim, quicquid est laboris, tanquam obedientissimi animi tesseram accipe, cuius perpetua pro TVA, domusque TVAE CELSISSIMA E salute, ad coelum adscendunt vota: servet TE Deus incolumem ad aetatem usque serotinam, omnesque hostium iniurias abs TE


arceat quam longissime, vt omnes cives sub  
placido TVO regimine adsueta felicitate diu  
frui possint. Spem quoque & Laetitiam po-  
puli, SOBOLEM TVAM intelligo, in dies  
crescere, omnique bonorum abundantia ex-  
uberare, clementer largiatur. Reliquum est,  
vt enixe rogem ; futurae TVAE clementiae  
commendatum habeas eum, qui perpetua gra-  
titudinis obligatione manebit

COMES CLEMENTISSIME  
CELSITVDINIS TVAE

HALAE D. APRIL.  
MDCC XXXXIX.

Subiectissimus servus  
IOANNES HENRICVS MOELLER.





Gruindlor ad objectum fecit Stalæ



### §. I.

**T**unica retina est expansio medullofae substantiae nervi optici (*a*), cui sunt intermixta vasa & aliquid membranacei (*b*).

### §. II.

*Nervi optici*, partim ex thalamis suis, partim ex medulla cerebri, prope eminentias mammillares, proveniunt (*c*), & aliquali modo declives antrorum procedunt, vniuntur dein circa infundibulum (*d*), & postea iterum secedentes, quilibet denique eorum per foramen pene rotundum in osse sphenoidali, quod *opticum* nuncupatur, ex calvaria egreditur (*e*).

### A

### §. III.

(*a*) BOERHAAVE *prael. academ.* Tom. IV. pag. 169. & seq.  
HALLER *prim. lin. physiol.* §. 508. (*b*) RVYSCH *Epiſt. anat.* XIII. p.  
15. in *Thesaur.* II. & III. (*c*) HALLER. *lib. cit.* §. 371. (*d*) EVSTA-  
CHIVS *Tab. anat.* XVIII. (*e*) HALLER in *not. ad prael.* BOERH. T.  
IV. p. 122.

## §. III.

Sicuti omnes nervi ante egressum ex crano *pia matre* vestiti sunt; sic etiam *nervus opticus* (a). Circa foramen opticum accedit etiam ~~arachnoidea~~. In exitu tandem per foramen denominatum adhuc fortiori vagina munitur, scilicet, *dura matre* (b). Accedens dura mater se dividit in duas laminas, quarum altera format in orbita *periosteum* (c), altera autem cum nervo vsque ad bulbum procedens, in duas iterum lamellas commode dispesci potest (d).

## §. IV.

Sic munitus & tribus vaginis involutus *nervus opticus* protenditur vsque ad bulbum oculi. Quem cum attigit, extima illius vagina, seu *dura meninx*, secedit (e), & relinquit nervum cum *arachnoidea* & *pia matre*, quae adeo arête cum eo cohaerent, vt non, nisi difficillime, ab isto separari queant (f). Secedunt quidem hae ambae etiam, sed ob subtilitatem paulo obscurius quam dura vagina; *medullosa* vero *nervi substantia fibrillas* quam *subtilissimas* emittit, quae cum quibusdam vasis per *foraminula scleroticae*, de quibus paulo post fusijs §. 14. agam, migrant, & membranae faciem in oculi cavo induunt.

## §. V.

De *involutis nervi optici* antiqui pene omnes, recen-

(a) RVYSCH, Epist. XII. Tab. XIII. litt. D. (b) MORGAGNI Epist. XVI. n. 16. (c) MORGAGNI l. cit. HALLER in not. ad BOERH. prael. Tom. IV. p. 134. (d) RVYSCHIVS Epist. Tab. XVI. Fig. 4. (e) BOERHAAVE in prael. acad. Tom. II. p. 577. (f) HALLER in not. Tom. IV. p. 141.

recentiorum autem plurimi arbitrati sunt, quod, si nervus cum suis vaginis vsque ad bulbum progressus esset, dura mater *scleroticam*, pia *choroideam* conficeret. Posteaquam vero *Celeberr.* RVYSCHIVS choroideam in *duas lamellas* divisit (*a*), ex arachnoidea *choroideam*, & ex pia matre sic dictam *Ruyschianam* fieri nonnulli crediderunt. Conf. de hac re BOER-HAAVE (*b*), HALLER (*c*).

## §. VI.

Nobis autem cum *Celeberr.* HEISTERO (*d*) & ALBINO existimare licebit, *scleroticam* & *choroideam* peculiares esse tunicas per se subsistentes. Quam rem, si per certas enchireses examinamus, veritatem a partibus istorum in re anatomica magnorum virorum stare, experimur. Dat quidem dura mater scleroticae *membranam* quasi *accessoriam*, cui insuper tam arcte accrescit, vt, si absque debita industria res perlustretur, iurare debeas, duram matrem omnino in *scleroticam* degenerare. Piam meningem & arachnoideam difficillime denudabis a corpore nervi optici (*e*). Spem quidem facit, ii dura vagina secundum longitudinem incisa & circumspete separata est, per circulum nigricantem in nonnullis brutis, & cinereum in homine, se determinare, & *choroideam* & *Ruyschianum* fieri; sed nullo modo earum terminum prosequi possumus, quoniam in contextu

A 2

cellu-

(*a*) RVYSCH. in *Epist. respons.* XIII. & in suis *Tbes.* passim.

(*b*) *prael. acad.* Tom. IV. p. 141. & seq. (*c*) *ibid. in not.* (*d*) *in dissert. de tunica choroid.* §. 2. (*e*) HALLER *l. cit.*

celluloſo (*a*) evanescere videtur, vnde haec res in du-  
bio adhuc relinquitur.

## §. VII.

Atque haec fuerunt, quae praetermittenda esse censuimus, antequam ad specialiores circa *tunicam retinam* pergeremus observationes; reliquas oculorum tunicas, quae scopum nostrum iam non feriunt, sponte mittentes. Interim tamen lubet, prius aliqua de *nervo optico* praemittere, quam ad ipsam *tunicae retinae* considerationem nos accingimus.

## §. VIII.

*Originem nervi optici*, ex thalamis suis derivandam (*b*), innuimus. Intra cranium contentus molliis est, sicuti omnis medulla cerebri; extra cerebrum cum ceteris nervis omnibus, (excepta portione mollii nervi auditorii,) illud commune habet, quod molliorem substantiam aliquo modo deponat, durioremque adsciscat, quae tamen durities ratione nonnullorum differt, ut maius & minus. Vndenam autem ista *durities*? Certe ab intermixtis vasis & vaginulis, quae singula filamenta medulloſa seorsim involvunt (*c*). Porro, a communibus vaginis & a contextu celuloſo, cuius ope omnia indicata inter se connectuntur (*d*). *Vasa* inesse *nervo optico*, docet iniectione RVYSCHIANA (*e*); Sunt vero diversi generis. Nonnulla, sed pauca naturaliter vehunt humores rubros seu

(*a*) *dissert. nostr. §. 14.* (*b*) §. 2. (*c*) HALLER *in not. ad prael. BOERH* Tom. II. p. 573. Tom. IV. 126. (*d*) BOERHAAVE *in pract. acad.* Tom. II. §. 281. (*e*) RVYSCH. *Tbes. I. aff. II. n. 7.*

seu primi generis (*a*), quod patet ex sectione statim post mortem peracta, vt & ex eorum luminibus. *V-*  
*num spectabile* in medio hoc nervo offenditur; si enim cultro acuto transversim abscindis nervum opticum, videbis *foramen*, quod GALENVS (*b*) & EVSTA-  
 CHIVS (*c*) jam observavit, & descripsit, vltimusque in suis tabulis optime delineavit. Nihil autem aliud esse quam *arteriam vacuam*, clare per injectiones con-  
 firmatur. Nam si cum liquore apto, penetrabili & post injectionem consistente, arterias rite impleveris, nullum invenies foramen, sed loco eius arteriam tur-  
 gentem. Haec arteria porro dat *ramulos* per to-  
 tum nervum visorium, quod sequenti experimento confirmari potest: Ex nervo transversaliter dissecto propullulat eius meduila in formam hemisphaericam; si nunc eluis in aqua tepida omnem medullam, reli-  
 quum nervi tanquam tubulosum corpus, arundinem Hispanicam fere referens, apparebit (*d*). Impletis autem antea vasis nihil tale tam ante, quam post de-  
 perditam medullam conspicies, sed totus nervus erit vasculosus & medullosum. Iniice proinde per caro-  
 tides cum penetrabili materia ceracea totum caput, exime postea oculos cum adnexis nervis opticis, fac vt perdatur omnis medulla, & nullos invenies tubu-  
 los, sed omnes nunc erunt vascula subtilia ramosa. Quod, vt cuivis ob oculos ponere possim, conservo adhuc

A 3

tale

(*a*) MORGAGNI Epist. XVII. n. 44. (*b*) *de usu partium* Lib. X.  
 c. 12. L. XVI. c. 3. (*c*) *off. exam.* p. 227. Tab. XL. fig. 2. 3. 11.  
 12. (*d*) Epist. XIII. Tab. XVI. p. 4. & *passim in thes. suis.*

tale praeparatum, in quo ramifications distincte videri possunt.

### §. IX.

*Primum ortum*, arteria nervi optici, ex ophthalmica interna nascitur. Carotis interna enim, quando prope sellam equinam cranium penetravit & perforavit duram matrem, emittit sat notabilem ramum, qui *arteria ocularis interna* nominatur. Exit deinde cum nervo optico ex calvaria per foramen opticum, in laevi illo angulo sita (*a*), ne nervum comprimendo laedat. Finditur postea statim in multis ramos, quorum nonnulli *partibus externis*, vt musculis, pinguedini, glandulis & ceteris cum globo connexis; nonnulli autem *partibus internis*, vt ipsi nervo optico (*b*), retinae, choroideae &c. prospiciunt (*c*). Huiusmodi tribus, plerumque autem quatuor, & nonnunquam pluribus ramis nervum opticum serpentinamente ductu concomitantur (*d*), qui iterum divisi, sclerotica, in pluribus quam duodecim locis, tam proprie insertionem nervi optici, quam etiam remotius ab isto, perforant (*e*). Rami qui ad RVYSCHIANAM penetrant, ut plurimum circa insertionem nervi optici sunt implantati, quod in oculis ab iniectione turgidis optime conspici poterit (*f*). Imo in ipso circulo albo, ubi incipit choroidea (*g*), tales arteriolas obser-

(*a*) ALBINVS lib. de off. corp. human. §. 57. (*b*) HALLER prim. lin. phys. §. 519. (*c*) HEISTER de tunic. choroid. §. 20. (*d*) RVYSCH. Epist. XIII. Tab. XVI. fig. 8. (*e*) RVYSCH. l. cit. (*f*) idem l. c. & fig. 7. 8. 10. HEISTER l. c. §. 22. (*g*) HALLER l. cit. §. 506.

observavi. Per totam denique choroideam & Ruy-  
schianam suos ramos distribuunt, & vsque ad uveam,  
iridem, & processus ciliares penetrant, alio licet or-  
dine & cursu. De qua re HEISTER fusius egit (a).

### §. X.

Praeter hanc arteriam modo descriptam, *qua-  
tuor* adhuc aliae, ab arteria carotide externa prove-  
nientes, ad oculum pertinent, quae omnes tam in-  
ter se, quam cum interna, per anastomoses mirifice  
sunt connexae. De qua re itidem conferendus *Illustr.  
HEISTERVS*, quippe qui vasa ad oculos spectan-  
tia accuratissime descripsit (b).

### §. XI.

Vasa & vaginulae, quae fibrillas medullofas in-  
cludunt (c), inter se quoque connectuntur, per *con-  
textum cellulosum* (d), quod vti ratio suadet, ita auto-  
psia anatomica confirmat.

### §. XII.

Prosecuti sumus hactenus nervum vsque in sclero-  
ticam, sequitur nunc, vt videamus, quomodo fiat  
*expansio medullaris substantiae in formam membranae*.  
Auctores omnes, quantum ego scio, excepto vnico, ce-  
lebri in anatomia Viro, BERNHARDO SIEGFRIE-  
DO ALBINO, uno ore profitentur, rem sequenti  
modo se habere: quamprimum nervus opticus bul-  
bum attigerit, secedere duram matrem, vt scleroti-  
cam

(a) in *dissert. saep. cit.* (b) *dissert. §. 16. 20.* (c) §. 8. *nostr. disserr.* (d) *ibid. BOERHAAVE prael. acad. Tom. II. §. 282. HAL-  
LER. in not. ibid. ad §. 281.*

### 8 *Dissertatio inauguralis anatomica sistens*

cam efficiat, statimque relicto nervo optico, cum arachnoidea & pia matre intrare scleroticam, postea etiam has duas meninges declinare ab illo, & in choroideam & RVYSCHIANAM converti (*a*). Relictam nunc nudam medullam, protuberare in modum *papillae*, in medio *depressae* (*b*), & magis magisque se expandere in formam membranae, quae *tunica retina* audiret. ALBINVS autem mentionem faciebat (*c*) scleroticam a medulla, in loco isto, vbi inseritur nervus opticus, perforari, (licitum jam sit nobis ita loqui,) ibique instar *cribri* apparere sclerotica. Quam rem ego examini submittens, veritati omnino conformem deprehendi. Ex figura, nostrae dissertationi adnexa (*d*) & experimentis statim subjungendis eo clarior evadet.

#### §. XIII.

Eligebam sex oculos vitulinos & totidem ovillos, & quatuor ex humanis corporibus, cum adnexo nervo optico. Discindebam bulbum per medium transversum, reclinabam tunicas, vt eo melius insertionem nervi visorii in fundo adspicere possem. Videbam ex *centro retinae*, vbi locus insertionis nervi est, vnum, & etiam in aliquibus plura provenire *vasa*, quae suos spargebant ramos per totam retinam instar radiorum stellae. Abstergebam retinam magna cura de papilla, quam format medulla nervi optici. Choroideam etiam removebam de sclerotica; remotis hisce duabus tunicis, conspiciebam *porum opti-*

(*a*) §. 5. *dissert. n.* (*b*) MORGAGNI *Epiſt. XVII.* n. 36.

(*c*) in *Collegio suo physiol.* (*d*) Fig. I. lit. c.

**opticum.** Cultro quam subtiliter & circumspete abraderbam omnem substantiam medullosam & papillosam nervi optici ab interiore parte oculi. Quo facto comprimens nervum visorium, videbam propullulantem per *punctula minima*, in tota macula nigricante oculorum ovillorum & vitulinorum disseminata, *medullosam substantiam nervi*; sed in medio manebat *porus nervi optici* in quo nil de medulla se ostendebat. Abstergbam denuo *expressam medullam*, iterumque comprimebam, idem jucundum spectaculum observans. Repetebam in nonnullis oculis toties, quoties adhuc medullam exprimere poteram. Post peractam expressionem videbam subtilissima punctula albicantia, quae adhibito microscopio *rudimenta medullae nervi* offerebant. Inter punctula haec albicantia dispersa erant foraminula pervia, ita quidem, ut vasorum abstensorum & vacuorum imaginem non obscure referrent. *Fibras* quoque in ista macula, de qua dixi, inter punctula alba & foraminula pervia, animadverti. Ut autem certior fierem, an etiam *medulla* revera per distincta loca & foraminula proveniret, adhibebam microscopeum, dum pressionem instituebam: ubi *medulla* subleni pressione, instar subtilissimorum punctulorum albicantium se oculis offerebat, quæ continuata pressione magis magisque elevata, tandem in *papillam spuriam* confluabant. In cuius rei testimonium asservo adhuc in liquore conveniente talia praeparata, in quibus punctula illa medullosa distinctissime videri possunt.

## §. XIV.

In aliis sequens institui experimentum: Dissecto per transversum oculo ut ante descripsi (a), & remotis tunicis interioribus non exprimebam medullam; sed secundum longitudinem incidebam duram matrem, nervum involventem, continuabam incisionem usque in scleroticam, evolvebam nervum ex vagina usque ad locum insertionis, vbi scilicet choroidam incipere putant auctores. Nervum leniter & caute huc & illuc agitabam; sed quid inde? Observabam sub hac leni agitatione aliquid *contextus cellulosi quam subtilissimi*, corpus nervi ambiens. Cultello non nimis acuto tentabam separationem nervi in hoc contextu, quae res etiam feliciter absque vlla ipsius violatione successit: modo excipias substantiam medullosam, quae eadem continuatione a medulla cerebri usque in finem retinae pergit, & vascula, quae per porum opticum migrant, ea enim discindere inevitabile erat. Liberato iam nervo relictam in loco insertionis eius inveniebam *subtilissimam lamellam*, quae cum sclerotica arctissime cohaerebat, & examini subiiciens animadvertebam, quod vera eius esset continuatio. Eluebam hoc praeparatum in aqua tepida, & suspendebam in crystallinam, humore spirituoso pellucido repletam, phialam, & versus radios lucis adspiciens illud, videbam totam *lamellam* istam, *instar cribri esse transforatam*. Foramina autem erant diversi diametri: in medio, vbi porus, seu foramen sic dictum nervi optici est, erat maximum inter-

(a) §. 13.

ter omnia; ad latera quae erant, se oculis meis sistebant paulo ampliora, quam cetera. Vid. fig. I. Et hoc ex *vitulino & ovillo oculo*.

§. XV.

In *hominis oculis* res multo subtilior est, & difficillime, absque conveniente microscopio, ostendi potest. Interim eadem constructio est; excepto hoc momento: quod in medio, vbi arteria cum sua vena exit, *vnum* tantum, sed *magnum foramen* observeatur, circa istud autem tot tamque *subtilia foraminula* adsinunt, ut si nudis oculis inspexeris, visum fere effugiant; armatis oculis distincte videri possint: fieri tamen potest, vt etiam in aëre sereno sine vitro conspiciantur. *Fibras*, de quibus sub fine §. 13. dixi, in hominum oculis non observavi. *Medullam* autem eodem modo, vt in §. cit. narravi, exprimere potui. Cuius rei exemplum conservo, in quo punctula elevata medullosoa quam subtilissima videri possunt. Loco autem *maculae subnigrae* (a), in homine deprehenditur *alba*. Ceterum, si nervus tali modo, vt de oculis vitulinis & ovillis (b) mentio facta est, evolvitur, & ex loco insertionis separatur, eadem phaenomena apparent, remanente scilicet, in loco insertionis, *lamella alba*, papyro pene finissima subtiliore, quae licet tota sit perforata *instar cribri*, tamen adeo subtilia ostendit foraminula, vt, sicuti iam monui, nudis oculis vix videri possint. An forsan est illa *lamella alba*, de qua *Illustr. HALLER* in comment. ad

(a) §. 13. buj. diff. (b) §. anteced.

BOERHAAVE (*a*), mentionem fecit, & quae totum *initium retinae* tegere deberet?

### §. XVI.

Principia iam iam, & primas, vt aiunt, radices *tunicae retinae*, deteximus, quare, vt totam illius faciem recte perspicimus, eorum quoque *progressus* atque *propagines*, *situm ac formam* perscrutari, neceſſe erit.

### §. XVII.

*Principalis pars tunicae retinae* formatur a fibrillis medullaribus nervi optici. Singulae enim, postquam per foraminula sua (*b*) penetravere, coēunt & formant papillam in media sua parte paululum deſſam; rursus se dividunt, & continuant suum iter super istud convexum corpus, quod *humoris vitrei* nomine maximam totius cavi partem in bulbo replet, usque ad *processus ciliares*, expansionem ibi formantes tunicatam.

### §. XVIII.

Si iam retina vitreum humorem immediate contingit, humor autem iste convexa gaudet figura, cuius oppositum latus respicit internam faciem tunicae choroideae, quisque facile colligit, *retinam* inter humorem iamiam denominatum & illam tunicam, quae a celeberr. RVYSCHIO suum nomen accepit, *esse ſitam*.

### §. XIX.

*Arteriam* centro nervi visorii inesse, quae in retinam dein se dimittat, in antecedentibus (*c*) docui-

(*a*) Tom. IV. p. 168. (*b*) §. 13. 14. 15. *diss. nostr.* (*c*) §. 8.

cuimus; de cuius vltiori progressu, hic aliqua erunt addenda. In repletis cum subtiliori materia ceracea oculis, iucundo spectaculo se nobis offert. *Tnnncus* illius, medium penetrans papillam, in plures se statim dividit ramos, stellae radios non oscure repraesentantes. *Numerus ramorum* differt; in nostro tres adsunt. *Vid. fig. II.* Horum quilibet detrudit de novo suos ramusculos, adeo in fine exiles, vt effugiant nostrum visum: immo, si inie<sup>c</sup>tio ad vota peracta est, tota fe- re superficies interna retinae vasculosa esse videtur. Quid mirum inde, quod RVYSCHIO in animum in- ciderit, *retinam* in *duas* dividere *lamellas*, quarum altera esset *vasculosa*, altera autem *medullosa* (*a*). De- scripsit quidem paulo obscurius, multa tamen ei in- esse vasa, patet ex figuris eius, quas exprimi curavit (*b*), quae vasa, post deperditam substantiam medullo- fam remanentia, apprime demonstrant. *Vasculosa lamina* in interiore superficie, vitreum corpus versus spectante, sita est; & illa, quae *Ruyschianae* propior, tota est *medullosa*. Haec mihi meditanti in mentem venit, *Celeberr. ALBINVM* in collegio physiologico, auditoribus suis vnum ex pretiosissimis suis praepa- ratis de hac re ostendisse. Erat autem bulbus oculi, in quo vasa exteriorum tunicarum repletissima cer- nebantur. Sclerotica, choroidea cum Ruyschiana circiter dimidia sui parte remotis; *retina* tandem vi- treum humorem adhuc involvens, egregie conspi- ciebatur. *Exterior superficies*, quae internae Ruy- schianae opposita fuerat, tota tota erat *medullosa*; per

B 3

quam

(*a*) in *Epiſt. XIII.* p. 15. (*b*) *Epiſt. XIII.* fig. 7. 16.

quam, propter subtilitatem suam, praelucebant, quamvis paulum obscure, subiacentia vasa impleta. In alio, quem ex eodem suie<sup>cto</sup>, vitulo scilicet, se exemisse referebat, absumpta erat substantia medullosa per aquam tepidam, & superant *vasa innumerabilia*, admodum rubro colore splendentia. HALLERVS (*a*) huius demonstrationis *Albiniana*e quoque mentionem facit, inverso autem ordine rem narrat. Ego vero, mecumque multi, qui praeparatum istud contemplati sunt, testantur, rem sic se habere, ut iam descripsi. Et ex figura nostra III. quae ad ipsum obiectum delineata est, clarius adhuc patebit, vasa interiorem superficiem retinae occupare.

### §. XX.

*Differentiam* hic aliquam prius, ratione arteriarum in brutis obviam, adiungere placet. In homine plerumque tantum reperitur vna, quae se in plures postea maiores, minoresque ramos dispescit (*b*). In oculis, ex canibus exsectis, sex, septem imo plures nonnunquam observavi, quae partim circa punctum insertionis nervi optici, partim etiam ex papilla ipsa eiusque centro proveniebant. In bubulis, ovillis, & aliorum animalium oculis, plures semper, quam vna, animadvertuntur. Ad hanc demonstrationem arteriarum necesse est, ut systema arteriosum (saltim in his partibus) materia ceracea prius impletum sit; venae autem absque praegressa iniectione videri possunt.

(*a*) *in not. ad Boerhaavii prael.* Tom. IV. p. 170. (*b*) RUVSCH.  
*Epist. XIII. Tab. XVI. fig. 15. HALLER prim. lin. phys. §. 519.*

sunt. Legi hic meretur de *differentia vasorum in tunica retina repertorum*, accuratissimus rerum anatomiarum observator, JOH. BAPTIST. MORGAGNI (a).

§. XXI.

Non solum autem hae *arteriae prospiciunt retinae*, sed etiam *humori vitreo & crystallino*. Tam subtile斯 interim sunt istae ad has partes tendentes ramifications, vt nullo modo humores crassos in statu naturali recipient, adeoque rarissime impleri possint. Olim mihi tamen contigit, vt, cum canern, aliquot ante diebus natum, subtili materia ceracea implevissem, iniectione voto meo responderet. Exemptos scilicet oculos examinans, videbam ex *centro retinae*, vbi in oculis vacuis observatur porus, *arteriam egredientem*, quae, postquam vitreum corpus penetraverat, atque per istud usque ad posteriorem partem humoris crystallini & eius capsulam processerat, distribuebat suos ramusculos eodem fere cursu ut in RVYSCHIO, ex vitulino oculo, expressum est (b); quod vero in humore vitreo disperserit ramos, non observare potui. WINSLOW in foetu sex circiter mensium, se vascula minima humorem crystallinum & vitreum penetrare, vidisse affirmat; sed veram originem eorum praetermittit (c). Et antea laudatus MORGAGNI vasa vitrei humoris ex retina provenientia, in oculis conglaciatis demonstravit (d). Attamen

(a) *Epist. XVII.* n. 44. 46. (b) *Theſ. II.* Tab. I. fig. 8.

(c) *Tom. IV.* n. 301. (d) *Epist. XVII.* n. 28.

tamen *retina* in corpus vitrei humoris *vasa* distribuit, quod exinde edocemur, quia in nonnullis locis tam fortiter cum isto cohaeret, vt multam (licet hisce infirmis partibus proportionatam) tibi faceat molestiam, si ab ista divellere studes, qualis tamen *cohaesio* cum interiori lamella choroideae, non observatur.

### §. XXII.

Eadem *venarum* earumque distributionum per retinam ratio est, quam quae fuit arteriarum. In homine cum arteria penetrat vna *vena*, per centrum puncti insertionis nervi optici (*a*). Quod in nondum impletis oculis optime videri potest. In brutis plures, quam in homine, adsunt, cum ipse met in ovi- bus & vitulis tres quatuorque conspexerim.

### §. XXIII.

*Vasa lymphatica*, quae nonnulli autores observare voluerunt, ego quidem nunquam neque maxima mea industria detegere potui, quare nec affirmare nec negare cupio. Interim nec alii observare potuerunt, vt *Illustr. HALLER*, Vir circa anatomiam indefessus, ipse de se testatur (*b*).

### §. XXIV.

De *fibris*, quas radiorum instar se dispergere credunt multi, autores multa commemorant (*c*). Adsunt quidem fibrae obscurae, sed numerus earum maior est in oculis ab iniectione adhuc liberis; vbi enim

(*a*) *HALLER prim. lin. phys. §. 520.* (*b*) *ibid.* (*c*) *BRIGGS opthalmogr. sig. 2.*

enim repleti sunt per materiam convenientem, maxima fibrarum pars *vasa* constituit. Et si quae adhuc post injectionem superesse videres, *vasa* potius *inania* vocanda essent, ad quae, vel ob subtilitatem, vel propter obstructionem, materia injecta non potuit penetrare, vel tandem sunt *venae minores*, quae per anastomoses injectionem difficulter admittunt.

§. XXV.

Tandem etiam praeter *vasa* & *fibras* adnotanda veniunt *plicae* seu *rugae*, vtpote quae in retina luculentissime videri possunt. De quibus pariter laudatus HALLERVS optime monuit (*a*), se potius *radiatas plicas quam fibras distinguere potuisse*.

§. XXVI.

Vt denique de *membranaceo* isto (*b*) dicto fusius agamus, nobis non videtur necesse esse, praesertim, quoniam de vero eius ortu nondum certi sumus. Quod adsit, docet autopsia anatomica, Vid. RY-SCHIVM (*c*). Anne textum sit ex subtilissimis vaſculis, visum omni arte adhibita, fugientibus, quis dixerit?

§. XXVII.

De vſu huius tractationis aliquid addere, tam propositi mei ratio, quam brevitatis studium vetat.

(*a*) lib. cit. §. 508. (*b*) §. I. noſt. diff. (*c*) in *Theſſ.* II. off. I. n. 12. & *passim* in *operib. suis*.

T A N T V M

C

VIRO

VIRO  
IVVENI PRAECLARO ET EXIMIE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO,  
**IOANNI HENRICO**  
**MOELLERO**  
OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM  
**IO. IVNCKER.**

**Q**uam mihi perlustrandam obtulisti dissertationem , eam,  
**CANDIDATE** doctissime , immutata facie iam **TIBI** reddo : nihil enim , quod vel exauctorandum vel  
interpolandum fuisset , in ea deprehendi. Evidem augurari fa-  
cile licet , haud pauciores fore , qui hoc scribendi genus diluere  
& infirmare eam ob rationem sustinebunt : quia in oculi partibus  
explicandis ~~angustiar~~ quidem anatomicam testibus satis lucu-  
lentis comprobasti , practicam autem utilitatem , propter quam  
omnis esse debet theoria , prorsus praetermisisti. Neque negan-  
dum est , partes istas de nervo optico & de tunica reti-  
na , discussius a TE exploratas , medicum usum non adeo pro-  
mittere. Qui vero debite perpendit , quod scientia illa , quam  
de

de pluribus fere rebus physicis habemus , angustis admodum li-  
mitibus inclusa sit , & usum manifestum rarius exhibeat : ille .  
TVAS quoque , CANDIDATE clarissime , de oculo ob-  
servationes minime infoecundas reputabit , sed in sapientiae divi-  
nae admiratione , quae oculum adeo mirifice exstruxit , sufficien-  
tem usum & animi delectationem inveniet . Ludere cum  
tesseris anatomicis , Juvenibus profecto Medicis perhonori-  
ficum est ; sigillaria enim opera sunt attributionum divinarum :  
manus autem & nares a foetidis cadaverum exhalationibus aver-  
tere , effoeminatae mollitiei & non raro pigritiae notam invol-  
vit . TV vero , CANDIDATE dignissime , anatomicae  
rei potius natus mibi videris : id quod primum in academia  
JVLIA , deinde in LVGDVNENSI Batavorum & denique  
in FRIDERICIANA nostra multa variaque contentione pro-  
basti ; & quod palmarium reproto , non otiosam nec tantum spe-  
culabundam , sed fructuosam omnino & multis salutarem fecisti  
anatomicam cognitionem : saltim quam diu Civem TE acade-  
micum hic habuimus , eximia huius rei documenta in aegris per  
dexterrimas operationes sanatis passim nobis dedisti animumque  
meum haud mediocriter saepius recreasti . Qua de caussa hunc  
TIBI diem , quo laurea doctorali coronaris , laetus gratu-  
lor Deumque rogo , ut eas ingenii dotes , quas disciplinis optimis  
excoluisti , in rei publicae emolumentum salutares esse ,  
clementissime largiatur . d. d. VIII. Aprilis

MDCCXLIX.

# EXPLICATIO TABVLAE SVCCINCTA

**Fig. I.** Denotat scleroticam oculi vitulini, ab interiore seu concava parte visam.

A. A. Margo scleroticae

B. Margo lamellae istius, de qua in §. XIV. dixi, quae in superiore sua parte, angulum obtusum ostendit, qui in hominum oculis non invenitur.

C. Lamella quam subtilis, quae tota instar cribri est perforata: in qua nonnulla foraminula majora, quae distincte videri possunt.

D. Maximum foramen inter omnia, pro arteria centrali nervi optici; in praeparato adsunt duo, sibi invicem prope adjacentia, unum pro vena, alterum pro arteria, quae autem hic nimis distantia expressa sunt.

**Fig. 2.** Idem sistit objectum a parte posteriori, seu externa convexa facie.

A. A. Margo scleroticae.

B. Vagina extima nervi optici, a dura matre, secundum longitudinem usque ad scleroticam incisa.

C. Locus, ubi nervus opticus aliquo modo oblique ingreditur scleroticam; nervus autem hic remotus est, ut lamella ista Fig. I. C. not. etiam a tergo commode videri possit.

D. Foramen pro centrali arteria.

**Fig. 3.** Ostendit tunicam retinam oculi humani, cuius interna concava facies, externa & convexa nunc facta est. Nam peculiari modo oculus hic praeparatus est, ut omnia sere tunicae retinae, saltim quoad vas, quae materia ceracea repleta sunt, in situ suo conspici possint.

A. A. Margo huius praeparati.

B. Tunicae retinae superficies interna, per quam innumera vasa decurrent.

C. Truncus arteriae, per centrum nervi optici decurrens & ex medio papillae egrediens, luculentissime hic oculis offertur. Ille statim se dividit in tres ramos principales, & hi iterum innumerabiles spargunt ramulos, visum denique subterfugientes.

D. Locus, ubi papilla nervi optici paululum depressa est, ex cuius centro ante descripta arteria exit.

NB. Monendum adhuc restat, omnes has figuras naturalem magnitudinem superare, quod ideo factum est, ut eo distinctius omnia cerni possent.